

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæstio. Primo enim quæritur de latría. Secundo de dulia.

Circa primum quærentur tria.

Primo. Quid sit latría.

Secundo. Cui debetur. Et habito quod soli Deo, quæritur.

Tertio. Qualiter sit ei exhibenda.

ARTICULUS I.

Utrum latría sit virtus, vel donum.

QUÆSTIO II. 2. quæst. LXXXI. art. 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod latría non sit virtus. Omnis enim virtus in libera voluntate consistit. Sed servitus libertati opponitur. Cum ergo latría sit servitus, ut dicitur in littera, videtur quod non sit virtus.

2. Præterea. Omnis virtus consistit principaliter in actu voluntatis. Sed latría consistit in actu exteriori, scilicet in exhibitione sacrificiorum. Ergo videtur quod non sit virtus.

3. Præterea. Ad latríam pertinet reverentiam Deo exhibere. Hoc autem ad donum timoris pertinet. Ergo latría est donum, & non virtus.

4. Præterea. Latría dicitur alio nomine pietas, ut habetur ex littera. Sed pietas est donum. Ergo latría non est virtus, sed donum.

Sed contra. Laudabile, secundum Philosophum I. Ethic. cap. xvi. est proprium virtutis. Sed actus latría est maxime laudabilis. Ergo latría est virtus.

Præterea. Omnis actus qui cadit in præcepto legis, est actus virtutis: quia intentio legislatoris est inducere hominem ad virtutem, ut dicitur II. Ethic. cap. 1. Sed actus latría præcipitur per primum mandatum. Ergo latría est virtus.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod sit virtus generalis. Augustinus enim dicit X. de Civ. Dei cap. vi. *Verum sacrificium est omne opus quod geritur, ut sancta societate Deo jungamur.* Sed huiusmodi est omne opus virtutis. Ergo omne opus virtutis est verum sacrificium. Sed sacrificium Deo offerre proprie pertinet ad latríam. Ergo ad ipsam pertinent omnes actus virtutum; & sic ipsa est virtus generalis.

2. Præterea. Per omne opus virtutis Deo servitur. Luc. xvii. 10. *Sic & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Sed latría est servitus Deo debita. Ergo omne opus virtutum pertinet ad latríam; & sic idem quod prius.

3. Præterea. Quicumque facit aliquid ad gloriam alicujus, exhibet ei reverentiam. Sed Apostolus I. Corinth. x. docet omnia in gloriam Dei facere. Ergo per omnia opera virtutis recte facta exhibetur Deo reverentia. Sed reverentiam Deo exhibere pertinet ad latríam. Ergo ipsa est virtus generalis.

Sed contra. Virtus generalis non præcipitur speciali legis præcepto, sed tota lege, sicut patet de de justitia legali. Sed latría præcipitur speciali præcepto, scilicet per primum primæ tabulæ. Ergo est virtus specialis.

Præterea. Vitio speciali opponitur virtus specia-

lis: unde Philosophus V. Ethic. cap. iv. probat justitiam esse specialem virtutem propter hoc quod ei opponitur avaritia, quæ est speciale vitium. Sed latría opponitur speciale vitium, scilicet idolatria. Ergo est specialis virtus.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod sit virtus theologica. Augustinus enim dicit in Enchir. cap. 111. *Si quaeratur quomodo colitur Deus, respondetur, fide, spe, & charitate.* Sed latría dicitur cultus Dei, ut ex littera habetur. Ergo latría est fides, spes, & charitas; quæ sunt virtutes theologice.

2. Præterea. Virtus theologica est quæ habet Deum pro objecto, sicut fides qua creditur Deus, & sic de aliis. Sed latría habet Deum pro objecto, quia ea colitur. Ergo latría est virtus theologica.

3. Præterea. Omnis virtus cardinalis tenet medium inter superfluum, & diminutum. Sed latría non est huiusmodi: quia Deus non potest nimis coli. Ergo latría non est virtus cardinalis, sed theologica.

Sed contra. Nulla virtus theologica habet actum exteriorem. Sed latría actus est sacrificium offerre, qui est actus exterior. Ergo non est virtus theologica.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius quæritur, ad quam virtutum cardinalium reducat: & videtur quod non ad justitiam, de qua magis videtur. Justitia enim, secundum quod est specialis virtus una de quatuor cardinalibus, consistit secundum Philosophum V. Ethic. cap. v. in communicatione activæ vitæ. Sed in præsentia vita non est nobis communicatio cum Deo: unde dicitur Danielis cap. 11. 11. *Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.* Ergo non potest esse species justitiæ.

2. Præterea. Secundum Philosophum V. Ethic. cap. vi. non est justitia proprie dicta inter dominam & servum, sicut nec alicujus ad se: quia servus quod est, & quod habet, domini est: similiter nec patris ad filium, qui est quasi pars ejus. Sed nos habemus nos ad Deum sicut servi ad dominum, & filii ad patrem. Ergo non est justitia nostri ad Deum; & ita latría non est pars justitiæ.

3. Præterea. Justitia proprie in æqualitate consistit, sicut dicit Philosophus V. Ethic. ubi sup. Sed non est possibile nos æquare Deo secundum opus nostrum. Ergo non potest esse justitia nostri ad Deum; & sic idem quod prius.

Sed contra. Tullius in Rhetorica (ad Heren. de inven. Lib. II.) ponit religionem speciem justitiæ. Sed religio, secundum quod ipse accipit, est idem quod latría: quia religio, secundum eum, est quæ superiori cuidam naturæ (quam divinam vocat) cultum ceremoniarumque affert. Ergo latría est species justitiæ.

Præterea. Reddere debitum, actus est justitiæ. Sed latría est cultus Deo debitus: unde exhibet Deo quod ei debetur. Ergo latría est pars justitiæ.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod quando aliquid commune in multis invenitur,

SOLUTIO II.

si in aliquo eorum secundum specialem modum invenitur, habet etiam nomen speciale, sicut nasus curvus dicitur simus. Similiter cum obsequium diversis possit exhiberi, speciali quodam, & supremo modo Deo debetur, quia in eo est suprema ratio majestatis, & domini: & ideo servitium, vel obsequium quod ei debetur, speciali nomine nominatur, & dicitur latría. Hoc autem nomen tripliciter sumitur: quandoque enim pro eo quod Deo in obsequium exhibetur, sicut sacrificium genus flexiones, & huiusmodi: quandoque autem pro ipsa exhibitione; quandoque vero pro habitu quo exhibetur obsequium: & primo modo latría non est virtus, sed materia virtutis; secundo modo est actus virtutis; tertio modo est virtus: & nominatur hæc virtus quatuor nominibus: dicitur enim *pietas* quantum ad effectum devotionis, quod primum occurrit. Dicitur etiam *theosebia*, idest divinus cultus, vel *eusebia* idest bonus cultus quantum ad intentionem attentam: illud enim coli dicitur cui studiosè intenditur, sicut ager, vel animus, vel quidquid aliud. Dicitur etiam *latría*, idest servitium, quantum ad opera quæ exhibentur in cognitionem domini quod Deo competit ex jure creationis. Dicitur etiam *religio* quantum ad determinationem operum ad quæ homo se obligando in cultum Dei determinat. Quibus tamen nominibus una & eadem virtus nominatur secundum diversa quæ ad ipsam concurrunt.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in principio Metaph. (cap. 11.) liber est qui sui causa est: unde servus dicitur qui causa alterius est, & servitium quod causa alterius agitur. Sed alterius causam agi est dupliciter: vel sicut finis, sicut servus non lucratur sibi, sed domino; vel sicut moventis, sicut servus non proprio motu, sed motus sicut instrumentum domini, operatur. Servitium ergo quantum ad hoc secundum tollit libertatem voluntatis, & per consequens virtutem; sed quantum ad primum non, quia homo potest propter alterum operari quod ei debet etiam propria voluntate; & secundum hoc latría dicitur servitium.

Ad secundum dicendum, quod quamvis virtus habeat quod sit virtus ex actu interiori, scilicet electione; tamen quod sit determinata virtus, habet ex actu exteriori: quia nostra electio determinatur per actum exteriorem qui elicitur, secundum quem attingit virtus proprium objectum, vel materiam ex quo specificatur actus, vel habitus: & ideo virtutes quædam habent actus exteriores, non solum interiores, sicut patet de fortitudine, & justitia.

Ad tertium dicendum, quod revereri, in quantum huiusmodi, est actus timoris; sed exhibere reverentiam, in quantum est Deo debitum, est proprie latría: unde non sequitur idem esse latríam, & timoris donum: sicut etiam pugnare viriliter est actus fortitudinis, in quantum huiusmodi; sed pugnare in acie Regis in quantum miles, hoc debet ei propter feudum quod tenet ab eo, & est actus justitiæ.

Ad quartum dicendum, quod pietas, in quantum est donum; consistit in quadam benevolentia supra modum humanum ad omnes; sed pietas, secundum quod hic accipitur, consistit in quadam devotione ad Deum, cui latría exhibetur: & hoc infra in tractatu de donis melius patebit.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. recognitione domini.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod aliqua virtus dicitur generalis quatuor modis. Uno modo quia prædicatur de qualibet virtute, sicut justitia legalis, quæ convertitur cum virtute, & est idem subjecto, ratione differens, ut dicit Philosophus V. Ethic. (cap. 11.) & sic dicitur generalis quantum ad suam essentiam. Secundo modo dicitur generalis, in quantum ab ea dependent aliæ virtutes participantibus ejus actum; & hoc modo prudentia generalis dicitur, quia ex ea omnes aliæ virtutes morales rectitudinem electionis participant, & sic actus ejus immiscetur actibus omnium aliarum virtutum: nihilominus ipsa in se est specialis, secundum quod habet specialem rationem objecti, scilicet eligibile ad opus. Tertio modo dicitur generalis, in quantum operatur circa actus omnium virtutum, ita quod omnes cedunt ei pro materia, sicut magnanimitas, quæ operatur magna in omnibus virtutibus, ut dicitur IV. Ethic. (cap. viii.) & tamen in se specialis virtus est, quia rationem specialem objecti in omnibus attendit, scilicet dignum magno honore. Quarto dicitur aliqua virtus generalis, in quantum ad eam concurrunt diversæ virtutes, quia scilicet actus ejus præexigit actus multarum virtutum; sicut etiam ad magnanimitatem præexiguntur aliæ virtutes, quia nullus potest dignificari magnis, nisi virtuosus sit. Prima ergo generalis est quasi universalis; secunda quasi causæ dantis esse; tertia quasi moventis per imperium; quarta quasi totius integralis comprehendentis multa. Sic ergo dicendum est, quod latría in se considerata est specialis virtus, quia habet specialem rationem objecti, & actus, scilicet ut exhibeatur aliquid Deo in recognitionem servitutis, sicut feudatarius aliquid reddit domino suo (1) in recognitionem domini: unde actum, & objectum habet formaliter unum, & specialem quantum ad prædictam rationem; quamvis materialiter sint multi actus, & multa objecta. Potest autem dici generalis quantum ad duos ultimos modos. Potest enim uti actibus aliarum virtutum materialiter sub prædicta ratione proprii objecti: & iterum ad actum ejus præexiguntur multæ virtutes aliæ, sicut fides, quæ ostendit cui exhibenda sit latría, & charitas, quæ afficit ad eum cui exhibenda est; & sic possunt multæ aliæ concurrere. Quamvis autem utatur materialiter actibus aliarum virtutum sub ratione proprii actus, tamen utitur quibusdam actibus qui non sunt proprii alicujus alterius virtutis elicitive, sicut offerre sacrificia, facere preces, & huiusmodi: nisi forte sicut imperantur à charitate, & ostenduntur à fide, non autem eliciuntur; & isti videntur proprie actus esse latría.

Ad primum ergo dicendum, quod offerre sacrificia est tantum de illis quæ pertinent ad latríam elicitive: unde hoc quod dicitur, omne opus quo Deo jungimur, esse sacrificium, est metaphorice dictum, in quantum Deum placabilem reddit, ad quod sacrificium offertur.

Ad secundum dicendum, quod aliud est Deo servire, & aliud exhibere aliquid in recognitionem servitutis: primum enim omnis virtutis commune est; secundum autem proprium est latría: unde la-

O

tria

tria includit servitium in ratione sui objecti; & propter hoc per se inest ei, & à serviendo nominatur: aliis autem virtutibus accidit, & non pertinet ad proprias rationes ipsarum.

Ad tertium dicendum, quod secundum quod actus aliarum virtutum in gloriam Dei fiunt, sic materialiter assumuntur à latría, ut dictum est.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod virtutes theologice dicuntur proprie illæ quæ habent Deum pro objecto, & fine: unde nulla virtus theologica habet actum circa rem creatam proprie loquendo: charitas enim nihil in homine diligit nisi Deum. Objectum autem circa quod agit latría est id quod reddit Deo in recognitionem servitutis, quem non est Deus: unde non est virtus theologica, sed ad cardinales reducitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus dicitur coli fide, spe, & charitate, non quasi cultus eliciatur his virtutibus, sed quia dictæ virtutes ordinant ad cultum, vel etiam quia actus dictarum virtutum materialiter (2) cedunt in cultum modo prædicto.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, colo, vel adoro Deum; quamvis actus videatur transire in Deum sicut in objectum, transit tamen in rem aliam sicut in objectum, & in Deum sicut in finem: quia colere Deum est aliquid exhibere Deo in protestationem servitutis.

Ad tertium dicendum, quod superfluum, & diminutum, inter quæ mediatur virtus moralis, non attenditur secundum quantitatem absolutam, sed in comparatione ad rationem rectam, ut scilicet fiat aliquid, secundum quod debet quantum ad omnes circumstantias. Unde contingit quod quantum ad aliquam circumstantiam virtus aliqua ponit in maximo, sicut magnanimitas, quæ est circa maximos honores, & magnificentia, quæ est circa maximos sumptus. Unde, & in latría superfluum est non quod Deus colatur nimis; sed quantum ad has circumstantias, exhibere cultum latría cui non debet cultus exhiberi, & sic est idolatria; vel quando non debet, & sic est superstitio, quæ est religio supra modum observata.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod secundum Philosophum (V. Ethic. cap. v.) iustitia secundum quod est specialis virtus, consistit in bonis quibus homines sibi invicem communicant in vita ista, sicut sunt pecunia, honores, & huiusmodi, secundum quod unus alteri huiusmodi communicare potest; in quibus iudex secundum legem æqualitatem constituit, ut unusquisque habeat quod sibi debetur, non plus, nec minus: & in hac æqualitate consistit iustitia: unde iustitia sic accepta, ut ipse dicit, non est nisi in illis qui nati sunt regulari eadem lege, & sub eodem Principe esse, & æqualiter principari. Unde secundum ipsum talis iustitia non est domini ad servum, nec patris ad filium: quia servus, & filius res eorum sunt: unde non est ad eos iustitia, sicut nec ad seipsum; tamen est ibi

(2) Al. concedunt. (3) Vulgata omnem.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed solum dicitur *scabellum sanctum*, ut discernatur corpus à Deitate, quamvis una persona utrumque sit: & in Glossa morali, *humanitatem*, quatenus unita est Divinitati, esse adorandam latría, sed secundum se hyperdulia.

quidam modus iustitiæ, secundum quod dominus reddit servo quod sibi debetur, vel è converso; quod appellatur iustum dominatum; & hoc modo se habet ad iustitiam latría, quia consistit in hoc quod reddit Deo quod sibi debetur: unde reducitur ad iustitiam non quasi species ad genus, sed sicut virtus annexa ad principalem, quæ participat modum principalis.

Et per hoc patet responsio ad duo prima, quæ secundum istam viam procedunt.

Ad tertium autem dicendum, quod prædictus modus iustitiæ, qui est filii ad patrem, & hominis ad Deum, non requirit æqualitatem ut exhibeatur secundum dignitatem ejus cui exhibetur, sed secundum possibilitatem reddentis: unde dicit Philosophus in VIII. Ethic. (cap. ult.) quod non in omnibus reddendum est quod est secundum dignitatem, quemadmodum in his qui ad deos, & parentes honoribus: nullus enim secundum dignitatem alteri retribuit. Secundum potentiam autem famulans iustus esse videtur.

ARTICULUS II.

Utrum humanitati Christi exhibenda sit latría.

III. P. quæst. xxv. art. 2.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod humanitati Christi non sit latría exhibenda. Dicitur enim in Glossa (a) super illud Psalm. xcviij. *Adorate scabellum pedum ejus*: Caro Christi non est adoranda illa adoratione latría, quæ soli Deo debetur.

2. Præterea. Ea quæ ad naturam pertinent in Christo distincta sunt. Sed reverentia non solum debetur personæ, sed naturæ. Cum igitur natura humana sit alia à divina, alia sibi debetur reverentia: ergo non debetur sibi latría, quæ tantum Deo debetur.

3. Præterea. Sicut dictum est, latría exhibetur Deo, in quantum est ipse Dominus per creationem. Sed creare non convenit humanitati Christi. Ergo non est ei exhibenda latría.

Sed contra. *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus* (in Symb. Athanasii.) Sed eadem reverentia exhibetur animæ hominis, & carni ejus. Ergo eadem reverentia exhibenda est Filio Dei, & humanitati assumptæ; & sic adoranda est latría.

Præterea. Hoc idem patet per auctoritates, & exempla in littera posita.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod nec imaginibus Christi sit exhibendus cultus latría. Exod. xx. 4. *Non facies tibi sculptile, neque (3) ullam similitudinem.* Ergo multo minus licet adorare imaginem Christi.

2. Præterea. De nullo alio irridetur in Scripturis idolatræ, nisi quia opera manuum suarum adoraverunt, quibus ipsi facientes meliores erant. Sed similiter imagines quas Ecclesia adorat, sunt opera ma-

manuum hominum. Ergo videtur in similem derisionem incidere.

3. Præterea. In cultu divino non sunt exhibenda nisi ea quæ per legem Dei determinantur. Sed non invenitur in sacris Scripturis institutum de imaginum adoratione. Ergo videtur nimis præsumptuosum fuisse imaginum adorationem inducere.

Sed contra. Imago, in quantum huiusmodi, ducit in imaginatum. Sed imaginatum harum imaginum quas adoramus, est Christus, qui est adorandus adoratione latría. Ergo & imago ejus.

Præterea. Basilius dicit (a) (in serm. contra Sabelianos, & Arium) quod honor imaginis ad prototypum refertur, id est ad principalem figuram, scilicet ad imaginatum. Ergo idem honor utrique exhibendus est; & sic idem quod prius.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod beatæ Virgini sit latría exhibenda. Quia Damascenus dicit, quod honor matris refertur ad filium. Si ergo filius latría est adorandus, similiter & mater.

2. Præterea. De ipsa cantatur: (b) *Secumque faciet matrem participem Patris imperii*: & ab omnibus dicitur Domina mundi, & Regina Angelorum. Sed Deo exhibetur latría, in quantum est Dominus, & Rex. Ergo & Virgini matri oportet latriam exhiberi.

3. Præterea. Augustinus (c) in Lib. unico de assumptione beatæ Mariæ, probat quod corpus Virginitatis non est incineratum: quia est ejusdem naturæ cum corpore filii, quod ex suo sumptum est. Ergo si corpus filii est adorandum adoratione latría, videtur quod similiter mater.

Sed contra. Beata Virgo est pura creatura. Sed latría soli Creatori debetur. Ergo ei non debetur latría.

Præterea. Ipsa adorat Deum latría. Sed non est ejusdem latriam exhibere, & recipere; sicut nec creaturæ, & create. Ergo latría non est exhibenda beatæ Virgini.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod non sit exhibenda crux. Sicut enim secundum humanitatem passus est in cruce, ita secundum Divinitatem cælum est sedes ejus. Sed cælum propter hoc non est adorandum latría. Ergo multo minus crux, cum latría debeatur Christo ratione Divinitatis, non ratione humanitatis.

2. Præterea. Res inanimata indignior est homine. Sed honor latría non est exhibendus ab homine nisi ei qui est supra hominem. Ergo crux non debet latría adorari.

3. Præterea. Majorem affinitatem habet ad Christum beata Virgo quam crux ejus. Sed virgo non adoratur latría. Ergo multo minus crux.

Sed contra. Reliquiæ aliorum sanctorum honorantur eodem honore quo ipsi sancti. Sed crux est de reliquiis Christi. Ergo est adoranda latría, sicut Christus.

Præterea. Crux est imago Christi crucifixi. Sed imago crucifixi Christi est adoranda latría. Ergo & crux.

In III. Sent. Tom. III.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Lib. de Spiritu Sancto cap. xviii. ex quo in VII. Synodo act. iv. refertur, (b) Ubi canitur modo, vel cantatum sit olim, non occurrit. Dominam vero mundi, vel etiam Reginam Angelorum sanctam Virginem appellari frequens est. (c) Vel sub ejus nomine verus Auctor inter ejus opera Tom. IX.

QUÆSTIUNCULA V.

1. Uterius. Quæritur, utrum viris sanctis sit exhibendus honor latría: & videtur quod sic. Quia latría exhibetur Deo ratione Divinitatis. Sed sancti participatione dicuntur dii. Ergo eis debet latría exhiberi.

2. Præterea. Imago impressa divinitus est nobilior quam quæ facta est humanitus. Sed imagines Dei quas homo fecit, adorantur latría. Ergo multo fortius viri sancti, in quibus Deus suam imaginem impressit, & reformavit.

3. Præterea. Abraham, ut legitur Gen. xviii. tres viros, qui Angeli erant, ut dicit Augustinus (Lib. XVI. de Civit. Dei cap. xix.) adoravit adoratione latría. Ergo videtur quod & aliis sanctis latría exhiberi possit.

Sed contra est quod legitur Act. xiv. de Paulo & Barnaba, qui prohibuerunt illos qui eis sacrificare volebant: & in Esther xiii. legitur de Mardocheo quod noluit adorare Aman, ne honorem Dei videretur transferre ad homines.

QUÆSTIUNCULA VI.

1. Uterius. Videtur quod sine peccato alicui creaturæ possit latría exhiberi. Legitur enim Apoc. ult. quod Joannes voluit Angelum adorare, & prohibitus est ab eo. Non autem prohibuisset, si eum dulia adorare voluisset, quia hæc Angelis sanctis debetur. Ergo volebat eum adorare latría; & ita hoc potest fieri sine peccato, ut videtur.

2. Præterea. Opus secundum intentionem iudicatur. Sed aliquis adorans Angelum, qui in forma Christi apparet, habet intentionem bonam, credens ipsum esse Christum. Ergo adorando non peccat.

3. Præterea. Aliquis adorat hostiam non consecratam adoratione latría, credens ipsam esse consecratam, & non peccat; quia ignorantia facti excusat eum; sed tamen idolatria est, quia Decretalis (extra de celebratione Missarum cap. de homine) dicit, quod sacerdos qui non consecrat, & fingit se consecrare, facit populum idolatrare. Ergo videtur quod homo possit creaturæ latriam exhibere sine peccato.

Sed contra. Si aliquis hoc quod debet temporali domino in recognitionem domini, alteri exhiberet, reus esset infidelitatis apud ipsum. Ergo multo amplius peccat, si cultum Deo debitum creaturæ impendat.

QUÆSTIUNCULA VII.

1. Uterius. Videtur quod si creaturæ exhibeatur, univoce dicatur cum ea quæ exhibetur Deo. Materia enim non diversificat speciem. Sed cultus exhibitus Deo, & creaturæ non differt, ut videtur, nisi materialiter. Ergo non differt secundum speciem, & ita dicitur univoce.

2. Præterea. Beatitudo univoce dicitur, quamvis à quibusdam quærat ubi est, scilicet in Deo, à quibusdam ubi non est, scilicet in divitiis. Igitur similiter latría dicitur univoce, sive exhibeatur cui est exhibenda, sive cui non est exhibenda.

O 2

Præ-